Q. D. B. V.

DISSERTATIONEM INAVGVRALEM MEDICAM

DE

MALIGNITATE IN MORBIS

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,

SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,

DOMINO

GVILIELMO HENRICO

DVCE SAXONIAE IVLIACI CLIVIAE MONTIVM ANGARIAE GVESTPHALIAE ET RELIQVA

SVB PRAESIDIO

IOANNIS ADOLPHI WEDELII

PHILOS. ET MED. DOCTORIS THEORETICES PROF. PVBL. ORDINARII CONSILIARII ET ARCHIATRI DVCALIS SAXONICI MED. DVCAL. PROV. SAXO-VINAR.

PATRONI PRÆCEPTORIS ET PROMOTORIS AD VRNAM VSQVE COLENDI,

PRO LICENTIA

SVMMOS IN ARTE MEDICA HONORES ET PRIVILEGIA DOCTORALIA MORE MAIORVM RITE OBTINENDI

DEFENDET AVTOR

M. GEORGIVS ERHARDVS HAMBERGERVS

IENENSIS

IN AVDITORIO MEDICO

DIE XX. OCTOBR. CIϽ IϽ CC XXI.

HORIS ANTE ET POST MERIDIEM CONSVETIS.

IENAE, LITTERIS RITTERIANIS.

I. N. I.

VT ſumme neceſſaria, ita non minus difficillima ſæpe, eſt morborum cognitio.

Talis autem redditur, ſi vel interius latitent affectus, nec certa ac ſtata ſigna habent, vel ab ipſis ægris, quæ ſignorum locum obtinent, occultantur ſtudio, vel ſi mitiora & ſenſibus leuiora ſaltim ſymptomata exhibeant morbi, nocendi autem vis maior adſit.

Ex his poſtremi maligni vocari ſolent, & ægros facillime fallunt, ne mature auxilium quærant, & medicis imponunt, niſi cauti, & ad iudicandum prompti exiſtant.

Horum conſiderationem ſpeciminis inauguralis loco iam ſuſcepimus, cui labori vt adſit ſummum Numen, Idem deuote imploramus.

§. I.

ILli homines, qui aliis damnum inferre ſuſtinent, omnia tamen, quibus præuideri & deprehendi id poſſet, occultant, vultu, verbis, reliquisque actionibus aliud præ ſe ferentes, maligni appellari conſueuere. Simile quid cum in morbis quibusdam occurrat, qui, periculoſi & grauiores exiſtentes, leuiora & mitiora ſaltim ſymptomata exhibent, & ſic periculum & ſeuitiem quaſi occultant, aliique apparent, quam reuera ſunt, idem nomen his fuit impoſitum, vt morbi dicantur maligni. Iidem, cum in qualitatibus ſenſibus manifeſtis haud obtineant fundamentum, morbi occultarum qualitatum olim audiebant. Non minus veteres eosdem morbos totius ſubſtantiæ vocarunt, ſubſtantiam principii vitalis, & quidem non externam, ſed internam ſeu eſſentiam, intelligentes.

§. II.

§. II.

Definiri poteſt malignitas morborum, quod ſit vis morborum intemperie grauior, vel ſpirituum deſtructionem breui inferens, vel humores vitales enormius, vt vix vel difficillime in priſtinum ſtatum reduci queant, deturpans, nulla tamen, vel pauciora, eaque inæqualia, ſymptomata grauiora, magis vero leuiora ſaltim apparentia, excitans, a fermento acri, magis vel minus vna viſcido, corrumpente, ſpecifico, vel illato vel concepto, dependens.

§. III.

Vim grauiorem morborum malignitatem eſſe, vix probatione eget, cum nullus omnino vnquam morbus dicatur malignus, niſi efficaciam talem obtineat. Vnde leuiores morbi, periculo carentes, nec alias rebelles, ſub malignis minime continentur. Neque tamen quælibet vis grauior morborum malignitatem conſtituit. Omnes enim morbi maligni ſunt quidem graues & magni, non autem omnes graues & magni morbi maligni exiſtunt. Sed illa vis grauior malignitas eſt, quæ vna inſidioſa & ſubdola exiſtit. Hæc vero morborum conditio ſymptomatibus illis coniunctis debetur. Morborum enim ſtatus & vis maxime ex ſymptomatibus cognoſcitur, & talis iudicatur, qualia ſymptomata exhibet. Si itaque ſymptomata in morbo grauiori itidem ſint grauia, & periculum oſtendentia, non eſt malignus, ſed aperte vim ſuam nocentem præ ſe fert; ſin autem pauciora & inæqualia, vel ad ſenſum leuia ſaltim, adſint ſymptomata, damnum, quod inferre valet, & grauitas, haud facile cognoſcitur, adeoque fallit & ægros, & haud raro medicos, non ſatis circumſpectos.

§. IV.

Vis itaque grauior, inſidioſa ac ſubdola formalem ratio-

tionem malignitatis abſoluit, non autem ſumma eam coercendi difficultas. Hæc enim ſumma coercendi difficultas omnibus morbis inſanabilibus, lethalibus & dubiis competit, licet nulla adſit malignitas. Nemo tamen vnquam omnes hos morbos pro malignis habuit.

§. V.

Talis vis ſeu malignitas proprie nullis, niſi intemperiei, morbis conuenit, qui fundamentum in maſſa ſanguinea huicque immerſis ſpiritibus habent. Reliquis autem quibusdam morbis, intemperiei huius coniunctæ intuitu ſaltim, idem nomen tribuitur ſecundario. Imo & ſymptomata quaedam maligna vocantur, vt vomitus, diarrhœa, icterus, ſed itidem haud in ſe, ſed ob coniunctam & fouentem intemperiem malignam. Ita ex morbis conformationis vnice tumores quidam maligni dicuntur, vt cancer occultus. Tumoris vero eiusmodi, vt talis, eſſentia conſiſtit in magnitudine aucta, hæc autem, vim talem laudatam habere nequit, nec quoque latitat, intemperies vero coniuncta cum maligna ſit, & conditiones laudatas habeat, ob hanc tumor malignus dicitur.

§. VI.

Ex ſolutæ vnitatis morbis vulneribus & vlceribus quibusdam malignitas tribuitur. Hanc vero minime ratione disiunctionis partium ſolidarum & fluidarum, in qua tamen eſſentia horum morborum eſt poſita, ſed ratione intemperiei, quæ maligna coniuncta eſt, obtinent. Ita etiam icterus, quatenus colorem flauum peregrinum exhibet, haud eſt malignus, in ſe enim conſideratus eſt ſymptoma qualitatis mutatæ in colore,non autem color malignus eſt,ſed intemperies latitans colorem hunc excludens. Idem de omnibus ſymptomatibus, quæ, maligna appellantur, valet. Vnde mali-

gni-

gnitas morborum intemperiei tantum vis iam recensita proprie existit, intemperies vero est humorum vitalium vitium, vnde & malignitas in his sedem suam proprie obtinet.

§. VII.

Speciatim ex morbis intemperiei vniuersalis malignitate gaudent febres quædam, continuæ inprimis, quæ ideo quoque seorsim malignæ vocantur, & in his primario pestis. Intermittentes febres haud facile malignæ deprehenduntur, aliquando tamen, licet admodum raro, sub hac quoque larua ludunt & decipiunt malignæ. Ad intemperiem vniuersalem non febrilem, malignam tamen, pertinet etiam scorbutus & lues venerea. Reliqui morbi maligni vniuersales vel a causa speciali, vnde orti fuere, vel a symptomate quodam coniuncto, nomen obtinent, omnes tamen quatenus maligni sunt, ad intemperiem pertinent. Prioris generis sunt morbi venenati stricte ita dicti vel a morsu animalium venenatorum, vel a vegetabilibus venenosis, vel a mineralibus producti. Posterioris classis exemplum vomitus malignus, icterus malignus &c. esse potest. Ex particularibus morbis malignitate pollent gangræna, carbunculus, sphacelus, cancer, vulnera maligna, vlcera maligna &c.

§. VIII.

Gradu maxime differt malignitas, vnde alia dici potest absolute talis, alia secundum quid. Malignitas absolute talis est, quæ spiritibus destructionem breui infert, adeoque cito iugulat. Secundum quid talis autem vocatur, quæ humores vitales enormius vitiat, vt restitui vix vel difficillime queant, non tamen destructionem subitam præstat. Vnde illa malignitas acutos, hæc vero chronicos morbos, efficit. Absolute talis malignitas occurrit in peste, febri-

bus

bus malignis & ſimilibus, ſecundum quid talis in ſcorbuto, lue venerea, vlceribus malignis &c. Vtraque iterum gradibus diſcerni debet, ſummum gradum malignitatis obtinet peſtis, quæ ipſa tamen diuerſa iterum eſt, hinc ſequuntur febres reliquæ malignæ, eodem modo reliqui ſe habent morbi abſolute maligni, generatim enim, quo citius & vehementius corrumpendi vis ſe exerit, eo maior gradus adeſt. Idem locum habet in malignitate ſecundum quid tali, eſt enim ſcorbuti ipſius, & luis venereæ, vt & vulnerum, tumorum ac vlcerum malignorum gradus diuerſus malignitatis, vt magis vel minus rebellia ſint hæc mala.

§. IX.

Ratione connexionis, quam malignitas habet cum morbo, cui inhæret, alia eſt eſſentialis, alia accidentalis, alia media. Eſſentialis eſt, quæ a morbo abeſſe non poteſt, ſed ipſi eſſentialis exiſtit, vt peſti, febribus petechialibus, lui venereæ, cancro &c. eſſentialis eſt malignitas. Accidentalis vero audit, quæ tali iungitur morbo, cui alias malignitas non competit, vt vlceri vel vulneri ſimplici ſuperveniens, vt intermittentes febres ſi malignæ euadant. Media eſt in iis morbis, vbi vel abeſſe vel adeſſe poteſt, & hinc facilius accedere valet. Sic febres continuæ, variolæ, morbilli, eryſipelas facile malignitatem recipiunt, errore commiſſo, vel cauſa grauiore paulo præſente, cum vicina labes horum malorum ſit malignitati.

§. X.

Malignitatem abſolute talem eſſe diximus, quæ ſpiritibus deſtructionem breui infert. Hoc enim modo intelligi poteſt, in quonam conſiſtat vis hæc grauior, & vnde dependeant ſymptomata in malignitate hac occurrentia. Primaria enim tum generatim, tum hic quoque, ſymptomata

mata ſunt actionis læſæ. Actio vero integra partium corporis dependet ab earundem conſtitutione naturali, prout in phyſiologia demonſtratum eſt. Igitur læſa actio debetur conſtitutioni partium præternaturali. Potiſſimum vero ſymptoma in peſte & febribus malignis eſt proſtratio virium ſumma, & quidem non tam ex oppreſſione, quam ex reſolutione, eueniens. Vires autem debentur ſpiritibus, vt itidem in phyſiologicis firmisſime oſtenſum eſt. Ergo ſpiritus læſionem hic ſuſtinent, non autem ex oppreſſione, cum reliqua phænomena, abſentia nempe oppletionis, tenſionis &c. renuant, adeoque ex reſolutione ſeu imminutione, & hæc, ob aliam cauſam abſentem, a deſtructione violenta ſubitanea.

§. XI.

Qui ſpiritus negant, deiectionem virium ſummam putant remisſionem eſſe animæ rationalis ab adminiſtratione motuum, ob omnis boni euentus fruſtrationem. Sed hæc remiſſio, ob finem quendam inſtituta, ſupponit neceſſario libertatem motus adminiſtrandi. Senſus autem teſtatur, animam non tam nolle, quam non poſſe, adminiſtrare hoſce motus. Haud raro enim anxie deſiderant homines, ita ægrotantes, motus illos perficere, ſed non poſſunt, imo in principio, quamdiu poſſunt, voluntarios motus ſtudio exercent vltra virium modulum, & decumbere renuunt, licet cum maximo ſuo damno. Deberet itaque anima, ſi remiſſio ſtudio ab eadem contingeret, ſimul eodem momento temporis velle ac nolle, quod fieri nequit.

§. XII.

Pulſus debilis, virium huic debilitati iunctus, eidem defectui ſpirituum originem debet, nec aliam cauſam agnoſcunt accedens aliquando lipothymia, ſenſuum internorum

rum perturbatio, motus conuulsiui & alia. Spiritibus autem fatiscentibus & destructis, sanguis ipse vitalis esse desinit, & potius cruor, quam sanguis, est. Et dum ita mutatur, alia inde quoque symptomata, v. g. exanthemata, emergunt, & laudata vna promouentur. Nonnunquam de nullo alio symptomate conqueruntur, quam de virium debilitate, calore tamen existente exiguo, aliquando vires parum quidem imminutæ apparent, pulsus tamen spirituum maiorem defectum innuit. Grauius itaque licet sit symptoma virium talis prostratio, minime tamen quilibet tantum periculum inde timet, cum alia absint symptomata, vel, si appareant, itidem maioris momenti non videantur. Præterea pluribus morbis, haud lethalibus, iuncta est virium debilitas, adeoque & hic maius periculum subesse haud facile existimatur. Aliquando, mitioribus omnibus visis, simul atque semel ex improuiso vehementiora symptomata erumpunt, sed tunc quoque extremi fere labores vna adsunt. Inæqualia autem existere symptomata præsentia, ex modo allatis patere potest, & paulo post magis clarebit, vbi signa malignitatis considerabimus.

§. XIII.

Malignitatis secundum quid talis effectus est humorum enormior deturpatio absque tamen spirituum destructione violenta. Et quidem hoc humorum vitium rebelle magis est, omnia remedia ordinaria spernens, maxime, si gradum maiorem adquisiuerit. Luis hinc venereæ tertius gradus, lepra, scorbutus confirmatus, cancer &c. tandem plane nullam curationem admittunt, & mitiori in gradu adhuc constituta difficillime cedunt. Leuiora tamen symptomata & pauciora grauia etiam hic occurrunt. Vlcera enim, tumores & dolores similiaque in his obuenientia

primi-

primitus eiusdem conditionis esse videntur, ac si a benigna prouenirent intemperie, cum tamen rebellia omnia & grauiora in recessu esse, frustanea remediorum ordinariorum, aliquando quorumuis, adhibitio ostendat.

§. XIV.

Causa malignitatis est fermentatio præternaturalis, massæ sanguineæ resolutionem maiorem vel minorem inferens. Resolutio autem massæ sanguineæ nobis audit ea partium eandem constituentium proportio inducta, quæ vel ad vitam continuandam, vel ad actiones rite perficiendas, apta amplius non est. Consistit vero eadem vel in fusione nimia, vel in coagulo nimio, vel in salium peregrinorum nimia eminentia. Fermentatio etiam hoc loco nihil aliud est, quam motus intestinus definitus a sale & sulphure massæ sanguineæ peregrino & improportionato dependens. Et licet quidam reiecerint fermentationem ex medicina, res ipsa tamen eiusdem præsentiam satis ostendit. Sal itaque & sulphur peregrinum motum hunc excitans fermenti nomine venit, quoniam non solum talem motum peregrinum, sanguinem resoluentem & vitiantem, efficere valet, sed etiam multiplicatiuum sui, seu seminale existit, vt sanguis ita affectus per effluuia, & alias, idem malum propagare valeat.

§. XV.

Fermentum hoc acre est, adeoque sal eminens habet, & ideo quoque & resolutionem & coagulationem, pro diuersitate salis, efficit. Ob eandem causam sulphur vitale balsamicum sanguinis vitiose expandit, varia ratione corrumpit vel destruit. Sulphur peregrinum huic immersum modificat illud sal, inuolutum gerit, & determinatum eius effectum noxium reddit, & id eo magis, quia viscosum &

lentum vna fermentum hoc reddit, vt quidem, actuatum a calore vitali, summe efficax sit, difficilius autem separetur, aliisque rebus, vt vestimentis, adhærere diutius, & vim suam seruare, queat, quod in peste potissimum videtur. Et, pro diuersa hac coniunctione salium & sulphuris in hocce fermento, modo solam fermentationem destructiuam vel deturpantem, modo vna vaporositatem, & hinc symptomata soporosa, modo corrosiuitatem simul, exhibet, quod in peste inprimis manifestum est.

§. XVI.

Ea hinc si sit fermenti huius acrimonia vt partibus balsamicis & spirituosis sanguinis resolutionem & destructionem tantum inferat, non autem rarefactionem maiorem humorum, & irritationem solidarum partium, efficere valeat, sola fere prostratio virium, pulsus debilis & similia apparent. Sin autem vna talis acrimonia emergat, quæ reliquas partes afficit, reliqua quoque symptomata excluduntur, inæqualitas tamen vna videtur. Illo enim in casu vires deficiunt, symptomatibus grauioribus aliis, & causis manifestis, calore maiore, doloribus &c. absentibus; hoc vero, symptomata grauiora visa non sentiuntur ab ægro, vel saltim alia, his respondentia, haud adsunt. Calor sic interdum adest æstuans, sitis tamen nulla, vires aliquando constare videntur, pulsus tamen summe est debilis, & sic quoque in reliquis.

§. XVII.

Hoc autem fermentum vel in ipso corpore ægroto natum est, vel ab extra in hoc deriuatum. Illud conceptum, hoc illatum vocatur commode. In corpore ortum adquirit, si vel colligantur & generentur tales partes putrilaginosæ in massa sanguinea, & cacochymia grauior, vel

alia

alia, vel inprimis ſcorbutica, ſit præſens, vel ſerum nimis in febribus abſumptum ſit, vel viſceris alicuius putrilago, vel corruptio, adſit, aut ab alio affectu, vt ipſa febri, inducatur. Collectio & generatio talium particularum, ad fermentum eiusmodi aptarum, fit, ſi vel copioſiores aſſumantur, vt cibus corruptus, rancidus, inconueniens, potus aquæ putridæ &c. vt & bonorum alias alimentorum nimia, vt & inordinata, ingurgitatio hisce fauet; vel præſentes in corpore non ſeparentur & excernantur. Generatim, præter temperamenti præſentis conditionem, res nonnaturales multum ad eiusmodi miaſma producendum faciunt. Aer inprimis humidus & frigidus, inæqualis, auſtrinus, nimis calidus & ſqualidus, molecularum talium generationem, retentionem & actuationem, præſtat. De alimentis iam dictum eſt. Motus fortior, aere vna vitioſo exiſtente, easdem exagitat, ſerum blandum diſſipat. Vigiliæ ſpiritus debilitando & cacochymiam augendo concurrunt. Animi affectus & ſpirituum & humorum motum inconuenientem excitando inſignem efficaciam hic præſtant. Inprimis terror & metus, a ſolo aſpectu vel narratione, in corpore diſpoſito aliquanto talem effectum præſtitit. Tranſpiratio inſenſibilis prohibita, vt & reliquæ ſecretiones & excretiones, quibus tales particulæ ſecedere ſolent, vt aliarum febrium, ita malignarum, cauſa exiſtit, recrementa enim putrilaginoſa retinentur, accumulantur, & actiuiora redduntur.

§. XVIII.

Ex præternaturalibus cauſis tum febres ipſæ continuæ, non malignæ prius, fabricando tali fermento inſeruiunt, tum alii morbi, ſi vel grauiores ſint, nimisque a ſtatu naturali recedant, vel inconuenienter tractentur, ab ægris æque atque medicis. Vt febri continua cor-

repti, si frigidiori se improuide & studio exponant aeri, vt scabies retropulsa, vlcera, non correcta causa, consolidata, purpura simplex retro pulsa,& similia ostendunt. Inflammatio partium internarum, cum ad corruptionem facillime abeat, itidem sub his causis continetur.

§. XIX.

Illatum vero tale *μίασμα* ab extra accedit, si vel assumantur eiusmodi venenosa, siue ex animali, siue ex vegetabili, siue ex minerali regno proueniant; vel, morsu & læsione facta, insinuetur simul tale fermentum, quemadmodum morsus canis rabidi, viperarum, aranearum, læsio armis venenatis illata, id testantur; vel per contagium saltim communicetur. Contagium notat communicationem miasmatis eiusmodi ab ægro corpore sano homini, vel saltim ab hoc morbo libero existenti, factam, a quo idem morbus consurgit. Miasma hoc per iam laudata est subtile, summe actiuum, & corpori humano vehementer infensum, insimul tamen coniunctas habet partes viscosas, lentas. Fermentificum autem cum sit & seminale, exigua eius particula sanguineam massam simili ratione afficit, vt postmodum eiusdem conditionis sit, ac in infinitum propagari ita queat & soleat, haud secus ac ignis, ad habilem accedens materiam, disseminari videtur.

§. XX.

Vt vero vim suam exerere queat fermentum hoc illatum, dispositio corporis, cui infertur, adesse debet, alias enim non omnino efficaciam suam præstat. Pauciores autem, imo paucissimi sunt homines, qui contrariam dispositionem habent, vnde & tam copiosa propagatio morborum malignorum fit, gradu maiore inprimis præsente. Vbi vero receptum est in corpus, non omnino per se statim

tim ita agit, ſed a calore vitali reſoluitur, rarefit & actuatur, & tunc demum, niſi ſuperetur & eliminetur mature, multiplicatur in corpore, & efficaciam ſuam damnoſam edit. In quibus vero matura ſecretio & excretio eiusdem contingit, maiorque reſiſtentia eſt, vt ſimilem mutationem noxiam cito præſtare haud valeat, ibi vis eiusdem eluditur.

§. XXI.

Fermentum autem hoc ſeu μίασμα vel immediate e corpore morboſo in corpus, liberum adhuc, transfertur per contactum, accubitum, oſcula, halitum, in quibusdam etiam, vt in lue venerea, per concubitum, & tunc appellari ſolet contagium immediatum; vel mediate, mediantibus rebus aliis, quæ μίασμα illud recipiunt, & corpori nondum ita laboranti admotæ communicant. Ita veſtimentis, lanæ, linteis, ſimilibusque rebus, quas contigerunt & tractarunt ægroti, adhæret hoc fermentum, & diu ibidem permanet, vt transportari in diſſitisſima loca ita queat, &, longo etiam temporis interuallo interpoſito, vim ſuam exercere, ſi corpori viuo hæc admoueantur, vt calore vitali actuari & ſuſcitari poſſit. Obſeruatum vero fuit, magis poroſis rebus adhærere, & firmius ibi perſiſtere, non ita facile paulo ſolidioribus, vt chartæ, nummis & eius generis aliis. Saltim ab his immerſione vel lotione amoueri poteſt facilius, ne vim exercere amplius queat.

§. XXII.

Per ſe quoque, vel nobis tacentibus, patet, quod eo facilius & promptius malignitas ſe exerat & propagetur, quo plures cauſæ ex dictis concurrunt & præſentes ſunt. Applicari ſpecialiſſime cauſæ allatæ poſſent, & omnia phænomena inde rite deduci, niſi iam properare, & breui rem expedire, cogeremur.

§. XXIII.

§. XXIII.

Ne fallamur facile a malignitate abſolute tali,& febrili inprimis, præſente in ægris, ſigna eius probe nobis debent eſſe cognita. Latitat aliquando malignitas in principio morborum penitus, & tamen attendenda eſt in curatione, ne quid intermittatur. Talis itaque morbus ſi ſit præſens, qui occultatam facile fouet malignitatem, vt febris continua quæcunque, eandem reſpicere debemus ſemper, ac ſi adeſſet. Ita enim non ſolum nullum damnum temere admittitur, negligendo, ſed etiam, quantum fieri vllo modo poteſt, periculum præuiſum oppugnatur & auertitur. Imo in omnium febrium principio, cum non ſtatim certum typum exhibeant, malignitatis memores eſſe decet. Maxime vero eo tempore id obſeruandum, quo graſſantur febres malignæ, & potisſimum peſtis. In hac enim quilibet morbus alius iungi fere ſolet, vt ſæpe abeſſe videatur febris, & ideo a quibusdam negetur, peſtem ad febres pertinere, qui malignitatis naturam non ſatis habent perſpectam. Adhuc magis ſuſpicionem latitantis malignitatis mouet morbus, licet nulla adhuc eius in ægro compareant indicia, ſi hic cum tali homine, qui febri maligna laborat, fuerit conuerſatus, vel aliæ cauſæ manifeſtæ, malignitatem facile excludentes, fuerint prægreſſæ. Hinc ſtatu aeris auſtrino, annonæ caritate, ciborum corruptorum, aquæ putridæ & ſimilium vſu, prægreſſis, & ſic in reliquis, nusquam tuta fides eſt.

§. XXIV.

Non raro tamen indicia malignitatis febrilis occurrunt, ex quibus peritus certo eius præſentiam cognoſcere valet. Inter generalia eius ſigna primas tenet inæqualitas in ſymptomatibus, tum inter ſe, tum ratione cauſarum,

tum

tum ratione effectus remediorum occurrens. Symptomata inter se inæqualia sunt calor minor, nullaque vehementia symptomata præsentia, & tamen summa virium prostratio. Calor summus, sitis tamen nulla. Vires quodammodo sibi constantes, pulsus tamen debilis. Symptomata in progressu vehementia, subito erumpentia, prius leuissimis existentibus. Ratione causarum & symptomatum, si grauissima subito accedant symptomata, nulla tamen appareat manifesta horum causa. Ita vigiliæ contumaces absque dolore, absque anxietate & aliis apparent. Imo ipsius prostrationis virium summæ sensibilis causa non adest, cum reliqua non consentiant, & ita quoque in reliquis se res habet. Effectus remediorum inæqualitas adest, quando affectus & symptomata vrgentia & alia iis, quibus alias prompte mitigari solent, non obediunt, sed rebellia permanent. Generale quoque tam febrilis quam cuiuscunque malignitatis signum est idea morbi manifesta. Morbus enim si talis est, vt malignitas ipsi essentialis sit, ea sic deprehenditur, licet nondum se exerat. Causa quoque manifesta prægressa, quæ certo malignitatem infert, vt morsus viperarum &c., eandem quoque signat.

§. XXV.

Specialia malignitatis febrilis, prout vel in hoc vel in alio morbo occurrit, signa ex cuiuslibet affectus conditione variant, & singulorum affectuum signa vna recensere deberemus. Hoc autem iam a scopo nostro alienum est, & fundamentum horum malignitatis signorum in ante dictis iam continetur. Nec alia ratione vti possemus, si malignitatis in reliquis, non febrilibus, affectibus occurrentis signa specialia velimus enarrare. Inæqualitas enim etiam hic generatim sufficit, si rite attendamus, atque omnia re-

cte applicemus. Vnde talia ſpecialiora ſigna ex vnius cuiusque ſpecialis affectus tractatione & conſideratione peti debet, quæ huius loci non eſt.

§. XXVI.

Euentus malignitatis, abſolute talis, inprimis febrilis, periculoſus ſemper eſt, plurimi enim inde moriuntur, &, licet, ſi abſolute conſiderentur, qui inde euadunt, multi quidem ſint, tamen, ſin, vt res hoc loco poſtulat, reſpectu illorum, qui moriuntur, mumerus attendatur, pauci ſaltim ſunt, imo in maiori gradu malignitatis paucisſimi. Secundum quid talis malignitas non ſtatim vitæ adfert periculum, ſed tunc demum, ſi gradus eius euadat maior. Hinc generatim quo maior malignitas, eo maius periculum, quo minor, eo mitius exiſtit. Specialiora euentus ſigna ex ipſa affectuum natura peti debent, de quibus rectius ſeorſim agitur.

§. XXVII.

Tempus euentus in malignitate abſolute tali breue eſt, acutos enim, imo acutiſſimos morbos, efficit, quod etiam aliter a tali vi expectari haud poterat, quæ principii vitalis deſtructionem minitatur & efficit. Malignitas autem ſecundū quid talis diutius durat, & chronica mala efficit, ſunt tamen & in his, quæ præ aliis citius mortem inuitare valent.

§. XXVIII.

Modus etiam euentus generatim tantum hoc loco conſiderari poteſt, quippe qui in ſpecialioribus affectibus malignis ſpecialius determinatur. Ad ſalutem ſi res perueniat in malignitate abſolute tali, quod matura & conueniens reſiſtentia præſtare nonnunquam valet, per tranſpirationem inſenſibilem, vel per excretiones alias criticas blandas, conſtantes & perfectas, ſecreto & excreto fermento maligno contingit. Vehementior vero, vires ma-

gis

gis profternens, euacuatio, die non critico, & nulla prægref-fa coctione, fiens ad mortem perducere folet, fiue fponte eueniat, fiue inconcinna curatione excitetur. Refolutio enim & fufio intentata magis fic promouetur. Fit vero etiam tranfitus ad mortem coagulo nimio inducto, vnde anxietas, lipothymiæ, conuulfiones, aliaque præcedunt. In malignitate fecundum quid tali ad falutem fit tranfitus, correctione & eliminatione fermenti matura, ad mortem autem corruptione grauiori, & maiore, quam permittit vitalis ftatus, vel partium fluidarum vel folidarum.

§. XXIX.

Curatio malignitatis abfolute talis poftulat, vt fermentum malignum mature annihiletur & diffletur, deinde maffæ fanguineæ proportio reftituatur & conferuetur, & tandem fymptomatibus vrgentibus fuccurratur. Annihilationem & difflationem nullis melius tentare & obtinere poffumus, quam diaphoreticis bezoardicis blandioribus, mediis & fixis, in quibusdam etiam cafibus interponi volatilia femel iterumque poffunt, fi fpecialiffimæ indicationes id poftulant. Sine hoc cafu autem melius omittuntur, ne, exagitatione fanguinis nimia facta, ipfum fermentum maiorem vim adquirat, promptioremque fpirituum deftructionem præftet. Euacuationes aliæ fi fint neceffariæ, & fpecialisfime indicatæ, blandisfimæ effe debent, cum maiori euacuatione fpiritus vna abfumantur, paucioribus autem præfentibus deftructio facilius infertur. Maximum autem malignitatis domandæ arcanum eft: principiis obfta. Quod fi enim ad primum mali fenfum ftatim bezoardicum quoddam medicamentum affumatur, prima in herba, fauente diuina gratia, fuffocari ac deleri poteft & folet, cuius rei exempla quamplurima proftant. Sin autem id negligatur, & fomnus prius ineatur,

quam id fiat, tota maſſa ſanguinea intimius afficitur, periculumque haud leue ſubit ita correptus.

§. XXX. Proportionem maſſæ ſanguineæ reſtituunt & conſeruant balſamica, putredinem arcentia, qualia ſunt præcipua & genuina bezoardica, hæc enim vna defendunt principia vitalia, ne tam facile peregrinum talem motum ſuſcipiant, & incipientem ac præſentem, quantum fieri poteſt, minuunt vel remouent, & ob vim diaphoreticam miaſma difflant, vnde vtrique indicationi conueniunt. Præter hæc ſcopo huic inſeruiunt, quæ ſeri blandi reſtitutionem præſtant, quo magis enim hoc deficit, eo maior actiuitas miaſmatis redditur. Porro bilioſæ partes acres alterandæ & corrigendæ ac mitigandæ veniunt. Hinc aquea, gelatinoſa, diluentia, acidula, nitroſa, abſorbentia, præcipitantia vtiliter reliquis, pro circumſtantiarum varietate, ſelecta interponuntur.

§. XXXI. Symptomata vrgentia in malignitate quoque curationem ad ſe vocant, quanquam, ſi hæc ingruant grauiora, parum auxilii ſperari poſſit, nimio incremento iamdum facto. Ita vigiliis, anxietati, lipothymiis, deliriis, conuulſionibus, diarrhœis, &c. ex ſuis loculis ſatisfieri debet, quantum fieri poteſt.

§. XXXII. Malignitati ſecundum quid tali iuxta easdem indicationes contraire debemus. Verum cum ipſum fermentum differat, & ſpiritus hic deſtructionem haud ſubeant, aliis etiam remediis intentioni ſatisfacere, ob circumſtantiam hanc mutatam, conuenit. Poſſunt enim non ſolum diaphoretica & bezoardica, verum etiam, per alias vias euacuantia tuto vſurpari, modo ſcopo apta & proportionata ſint. Inſimul modo acrimonia, modo alia ſanguinis conditio emendationem, & proportionis reſtitutionem, requirit, quod quilibet affectus ſpecialis medico ſagaci oſtendit. Nec in his quoque ſymptomata vrgentia negligenda, ſed mitiganda, haud raro veniunt. Omnia autem hæc in quibuslibet affectibus ſpecialioribus prolixius edocentur. Diætæ inſuper habenda vbique eſt ratio, inprimis in febribus malignis, vbi maxime aer vel nimis frigidus vel nims calidus noxius eſt, temperate autem calidus conuenientiſſimus eſt. Non minus reliquarum rerum non naturalium vſus cauſis contrarius eſt vtilis, quem inſtituere medicus rationalis ſemper debet.

SOLI DEO GLORIA!